

88. Sed determinatio ista duntaxat monstrat
ex cuius naturæ vi, concreto alterius naturæ, pro-
prietas ista competat: ne ulla naturarum, aut
proprietatum confusio statui existimeretur.

89. Fundamentum huius primi generis est Unio
duarum naturarum in Christo hypostatica, in qua
integre quidem, & distincte manent nature
naturarumq; proprietates essentielles: Sed non
seorsim aut sigillatim subsistunt singulae: Verum
ita sunt unitæ, ut unum ὁφιστέμενον constituent.

90. Hinc Orthodoxa illa Vigilij regula: Cùm
verbum propter carnem homo, & caro
propter verbum DEVS sit, quicquid est
proprium verbi, commune est cum carne,
& quicquid est proprium carnis, commu-
ne est cum verbo. Quia verbum & caro,
unus est Christus, & una persona.

91. Ex quo fundamento peti potest iudicium
de qualitate prædicationum primi istius generis.
Qualis enim est unio, talis est & commu-
nicatio: talis itidem, quæ hinc resultat præ-
dicatio. Atqui non verbalis tantum: sed rea-
lis maxime est, quippe personalis, unio. Eiusdem
ergo generis sit oportet, & communicatio: Eius-
dem etiam generis ipsa sit prædicatio necessum est.
Qualis enim res, talis prædicatio.

92. Et quanquam natura humana non est assu-
mens, ac proinde propriè etiam communicans